



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

IX. An debeat explicari effectus subsequutus, an verò sufficiat confiteri
causam: vbi etiam de actu externo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

433. sus videt pœnitentem seipso immediatè id non posse exequi, nec habere alium, per quem id possit, præter ipsum confessarium: quo casu certum est, teneri pœnitentem ad illud medium vnicum eligendum: quod si eligere nolit, iam non est aptus ad absolutionem recipiendam.

Hic casus facilius potest occurrere Prælati regulari, qui si ex confessione subditi sciret, latere in domo, vel conuentu religiosum notabiliter perniciosum, qui suis pessimis moribus corrumpit alios, & inficere potest breui tempore magnam partem cum maximo damno communitatis, & aliundè videri, perditum illum hominem corrigendum non esse secreta correctione ipsius pœnitentis, vel aliorum, nec posse impediri commune damnum, nisi auferendo de medio per mutationem, vel expulsionem illum incorrigibilem; potest quidem pœnitentem admonere de obligatione quam habet, si absque grauissimo suo detrimento potest: quod si pœnitens nolit, non debet Prælati assumere Prælati personam, & censuris, vel præcepto obedientiæ eum obligare, quia notitiam illam non accepit, vt Prælati, sed vt confessarius, & in foro illo sacramentali, in quo solum debet negare absolutionem ob defectum dispositionis debitæ. Quare quoad hoc idem potest, & debet cum proportionem facere alius confessarius, cui religiosus ille confitetur: nam debet illum similiter obligare, vt per se, vel per alium adeat Prælatum, & det illi notitiam complicitis, quantum sufficit ad impediendum commune damnum. Quando verò, & quomodo excusetur pœnitens à manifestando complice propter infamiam, aut damnum proprium, quod sibi timet: ex particularibus circumstantiis iudicandum erit: tam graue enim esse potest communitatis damnum, vt pœnitens teneatur illud impedire etiam cum aliquo graui suo detrimento.

434. Adde, posse contingere, vt licet pœnitens dicat se velle per seipsum immediatè, vel per alium dare notitiam complicitis ad impedienda mala iuxta suam obligationem, adhuc confessarius possit differre illi absolutionem, donec de facto suæ obligationi satisfecerit. Nam sicut debitor, qui sapè proposuit restituere, & non restituit, prudenter differtur postea absolutio, donec prius cum effectu restituat, quia prudenter timemus, quod post confessionem non restituet. Sic in nostro casu quado Confessarius prudenter timeret pœnitentem non satisfacturum postea suæ obligationi, prudenter faceret differendo absolutionem, donec prius rem exequatur: imò addunt aliqui, quod debet cogere pœnitentem, vt afferat sibi testimonium denuntiationis, vel manifestatio- nis factæ. Ita Bartholomæus Medina 2. summa cap. 4. §. 1. Hoc tamen videtur nimium: nam in illo foro debemus, & possumus credere pœnitenti circa præterita, tam pro se, quam contra se: & quidem debitorem, & furem absque alio testimonio absoluiimus, quando dicit, se iam restituisse.

435. Dicendum sexto: cautissimè debet Confessarius procedere, quando petit sibi notitiam complicitis, quâ possit extra confessionem vt, debet enim providere, ne scandalum sequatur ex vsu notitiæ habitæ in confessione: ad quod aliqui putant fore vtile, si faceret sibi licentiam dari à pœnitente in scriptis, ne forte ipse pœnitens id postea negaret: facilius tamen esset petere, vt sibi extra confessionem dicatur, & facilius hoc faciet pœnitens, quàm dare in scripto. Debet etiam præmonere pœnitentem, an speret, quod per ipsum Confessarium obtinebitur fructus, qui intenditur: item an sit peculiare aliquod inconueniens, si confessarius agnoscat complicitem: posset enim contingere, quod esset frater,

vel consanguineus ipsius Confessarii, qui prudenter non deberet ipsi manifestari. Si verò Confessarius sit Prælati, debet cautissimè se gerere, & non facile credere, quæ sibi à pœnitente dicuntur de aliis, nec etiam ex licentia pœnitentis vt eiusmodi notitia ad aliquid circa aliorum gubernationem discernendum: potest enim contingere, quod duo, vel tres malitiosè conueniant de manifestando Prælati in confessione defectus alicuius, dando licentiam Prælati, vt possit illa notitia vt ad gubernationem, nil tamen dicendo eidem subdito: debet itaque Prælati illam notitiam accipere solum ad inuigilandum, & inuestigandum, an talem defectum in eo subdito inueniat: non tamen disponendum de illo propter talem notitiam. Quando verò non datur licentia expressa ad vtendum eiusmodi notitia extra confessionem; constat non posse illo modo Prælatum illa vt in ordine ad gubernandum propter peculiare decretum Clementis Octauæ, vt dicemus inferius agentes de sigillo.

436. Dicendum vltimò. Sicut diximus, raro obligari pœnitentem ad manifestandum nomen complicitis Confessario: ita rarius obligabitur Confessarius ad acceptandum illud munus, & imponendum sibi illud onus corrigendi complicitem, vel denunciandi illum. Aliquando tamen poterunt concurrere tales circumstantiæ, in quibus ipse etiam Confessarius obligetur ad exquirendum complicitem, & assumendum sibi illud munus, de quibus consulendus est Suarez dista sess. 4. numero 20.

SECTIO IX.

*An debeat explicari effectus subsequens,
an verò sufficiat contineri causam? Vbi etiam de actu
externo.*

437. Hoc solum restat explicandum, ex iis, quæ supra sess. 5. num. 236. diximus pertinere posse ad hanc circumstantiam. Quid. Nam ipse effectus sequitur pertinet ad obiectum peccati: pro cuius explicatione, supponendum est in peccato, v. g. quo alium veneno occidisti, interueniente actu in primis voluntatis internum, quo voluisti dare illi venenum, deinde actionem externam, qua venenum præparasti, & dedisti: deinde effectum sequutum, scilicet mortem illius: dubium est, an sit in confessione dicere te lethale venenum dedisse, vt moreretur, an verò necesse sit addere, quod interfecisti eum veneno. Pro vtraque parte sunt rationes, quæ non parùm vrgent. Quod enim vtrumque debeat explicari, probari videtur, quia licet ille effectus externus non sit in se formaliter, & intrinsecè liber, & malus: est tamen liber, & malus extrinsecè, & denominatiuè à libertate, & malitia voluntatis, à qua procedit: quod sufficit, vt debeat explicari; nam actus etiam externus dandi venenum non est formaliter, & intrinsecè liber, sed tantum extrinsecè, & denominatiuè à voluntate interna: & tamen omnes fatentur, illum debere explicari, alioquin soli actus interni præcisè essent confitendi, in quibus solis residet immediatè, & formaliter malitia, ergo propter eandem rationem debet explicari occisio completa: non enim sufficit dicere, proieci sagittam, aut explosi sclopetum, vt occiderem, sed debet dici, occidi de facto: quod autem parum, vel multum temporis intercedat inter voluntatem internam, & effectum, videtur esse solum differentia secundum magis, & minus, cum non idèò desinat esse voluntarius effectus, qui post diem,

diem, vel biduum consequetur ex voluntate hominaria.

Ex alia verò parte videtur difficile, quod sit obligatio semper explicandi effectum consequentem: quia in confessione solum debent ex necessitate explicari peccata: ille autem effectus licet sit effectus peccati; non est tamen propriè peccatum: nam tunc homo non peccat, quando post annum ille alius moritur, nec etiam toto illo anno continè peccat actu, dum ille agrotat ex veneno, vel vulnere, licet propter peccatum præcedens totum illud imputetur ipsi: alioquin peccaret actu tunc, quando actu dormit. Imò peccaret quando iam per contritionem, aut confessionem iustificatus est à priori peccato, quod durum, & omnino falsum videtur: ergo ille effectus non est peccatum actuale, & per consequens non est necessariū in confessione exprimentus.

Propter hæc variae sunt sententiae. Prima, & satis communis affirmat esse explicandum effectum externum. Hanc tenent Soto in 4. distinct. 12. quæst. 1. artic. 7. vers. Hinc fit. Ludouicus Lopez 1. parte instrum. cap. 31. §. Prætereà quia omnibus, & 2. parte cap. 76. de Eucharistia, §. Sequitur etiam secundo. Thomas Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 45. num. 30. Castro Palao 1. tom. operis moralis, tract. 2. disput. 1. punct. 3. num. 7. qui alios referunt. Eandem sententiam meo iudicio tenere debent aliqui docti Recensoriores, qui nouo modo defendunt actum externum addere nouam malitiam, ac bonitatem, maiusque meritum, aut demeritum supra actum internum. Quam sententiam latè probat, & defendit Pater Ioannes Martinez Ripalda in erudito opere de ente supernaturali, tom. 1. disput. 68. sect. 5. vbi inter alias rationes id probat ex obligatione confitendi actus externos: & licet solum videatur loqui de actu externo: rationes tamen, quas affert, & exempla comprehendere videntur effectum externum consequutum. Nam numero 32. adducit exemplum martyrij, in quo effectus mortis consequitur diu post acceptationem mortis, & numero 31. probat exemplo satisfactionis pro peena temporali, in qua etiam passio externa augeat satisfactionem supra voluntatem internam, & numero 32. probat hoc ipsum ex eo, quod Ecclesia, & Respublica humana puniunt peculiaribus penis actum externum: & numero 30. dicit rationem à priori esse, quod Deus plus accipit ab homine, quando accipit actum etiam externum bonum, & magis obligatus manet ad retributionem, quod idem cum proportionem procedit in actu malo. Hæc autem omnia procedunt etiam in effectu sequuto: nam qui dicunt, magis satisfieri per actum externum quam per internum solum, idem dicunt de passione externa consequuta etiam quando homo iam non attendit, vt nos etiam dicemus inferiis agentes de satisfactione disput. 24. sect. 4. & idem olim docui in eadem materia. Ecclesia etiam, & Respublica humana peculiariter puniunt pro effectu consequuto magis, quam si effectus non sequeretur. Deus etiam plus accipit, sicut & amicus plus accipit ab eo, qui dedit ei cum effectu salutem, honorem, aut diuitias, quam ei, qui voluit, & tentauit, sed sine effectu. Quare hic Auditor meo iudicio, consequenter tenet, effectum sequutum quando iam non adest actualis libertas interna, adhuc addere aliquid plus meriti, aut demeriti, ac per consequens debere in confessione explicari.

Contrariam sententiam defendit latè Pater Vasquez in 1. 2. tom. 1. disput. 94. cap. 3. Granado in 1. 2. controuers. 6. tract. 4. disput. 3. num. 12. Azor & alij, quos refert, & sequitur Bonacina de legib.

disput. 2. quæst. 4. punct. 4. numero 8. & Diana tom. 1. tract. de circumst. aggravant. resol. 64. & tom. 2. c. Sacram. resol. 67. Curiel in 1. 2. quæst. 71. art. 5. dub. 3. §. 3. ad secundum argumentum. Ioann. Sanctius 1. disput. select. disput. 20. num. 5. Suarez tom. 2. de Religione lib. 3. cap. 8. num. 5. & probabilem reputat Thom. Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 16. num. 46. circa finem, & alij, quæ sententia verior semper mihi visa est.

Probarique potest à priori, argumento supra indicato, quia ille effectus quando consequitur, iam non est actu peccatum, sed effectus peccati; tunc enim homo non peccat, nec peccare potest, cum actu dormiat, vel distractus sit: non ergo est obligatio illum effectum explicandi in confessione, cum nec sit malitia formalis, nec subiectum, quod ab illa possit recipere denominationem peccati.

Non desunt, qui negent antecedens, & dicant, tunc hominem actu peccare: imò tunc in somno, quando effectus pollutionis, vel occisionis præuise subsequitur, amittere gratiam, & incipere esse in peccato. Ita Marfilius in 2. quæst. 21. artic. 2. supposit. 2. conclus. 4. & Palatius ibi distinct. 35. disp. ult. in fine. Hoc tamen ab omnibus merito rejicitur: quomodo enim potest incipere esse turpis, & scelus, qui prius erat rectus, absque noua libertate? Deinde, quid fieret de illo homine, si in somno mortuus esset, antequam effectus sequeretur? Procul dubio saluus esset, cum retinisset adhuc gratiam sanctificantem. Alij ergo dicunt, peccasse quidem prius, sed ab illa eadem malitia iam posita, denominari de nouo peccatorem propter nouum peccatum, quod postea ponitur, quatenus denominatur de nouo homicida à voluntate libera præterita, & ab effectu nunc sequuto.

Contra hoc tamen virget id, quod supra opposuimus, posse, scilicet, contingere quod iam tunc homo iustificatus sit per contritionem, aut confessionem, quando ponitur de nouo effectus prioris voluntatis malæ: non sufficit ergo effectus ille ad dandam nouam denominationem peccatoris. Adde, si ideo effectus ille debet in confessione explicari, quia est effectus peccati præteriti, sequitur, quod si hic homo prius confessus fuerat venenum lethale datum, & die sequenti moriatur, qui venenum accepit, debeat iterum confiteri illum effectum sequutum, quia per te est materia necessaria confessionis, & non fuerat prius sufficienter explicata in se, sed solum in causa, quod per te non sufficit: debet ergo ante communionem confiteri hunc nouum effectum. Vnde si Sacerdos proiecit Breuiarium in mare præuidens omissionem culpabilem recitandi per totum annum, & postea confiteatur hoc peccatum, debet adhuc singulis diebus ante Missam confiteri de nouo effectum nouum subsequutum, scilicet omissionem recitationis pro illo die: quæ omnia manifestè absurda sunt.

Respondetur communiter, effectum postea subsequutum non semper esse peccatum, sed tunc solum, quando per penitentiam non est retractata voluntas præterita: tunc enim adhuc moraliter perseverat præsens, & potens denominare voluntarium & liberum id, quod sequitur: quando verò retractata est per penitentiam, iam non censetur manere, atque ideo interrupto influxu, non est amplius voluntarium, aut peccatum id, quod postea sequitur, & per consequens non erit obligatio illud in confessione explicandi.

Hæc tamen responsio multipliciter impugnari potest. Primò, quia iuxta hanc doctrinam, si ille,

G g 4 qui

qui venenum hodie dedit, statim haberet attritionem, & propositum confitendi; tunc licet post horam obijisset, qui venenum accepit, non teneretur pœnitens eras in confessione dicere, se hominem occidisse, sed solum dedisse venenum: quia mors sequuta fuit post retractatam voluntatem. Consequens autem (ni fallor) non concedent Auctores contrariæ sententiæ; dicunt enim in vniuersum, explicandum esse in confessione effectum mortis sequutum absque vlla distinctione. Vnde vltius virgare possumus, quia in prædicto casu, non solum non deberet, sed nec posset pœnitens, se accusare, quod occidisset hominem veneno; quia ea dicendi formula significaret, ipsam etiam occisionem completam, fuisse peccatum, cum reuera non fuisset, sed sola portectio veneni, quare vel solum deberet dicere, se dedisse venenum, vel certe deberet explicare mortem fuisse subsequutam post retractatam voluntatem; alioquin enim accusaret se de quodam peccato graui, quod reuera non fecisset.

444. Hinc secundo vltius argui potest: quia si effectus secutus post retractatam voluntatem non censetur amplius voluntarius, neque peccatum; consequens est, vt licet retractata fuisset voluntas, non per attritionem, sed per voluntatem naturalem, aut venialiter malam, propter aliquod scilicet motuum temporale, & venialiter malum, id sufficeret ad hoc, vt effectus sequutus non esset iam peccatum; quia tam desineret esse voluntarius per vniam retractationem, quam per alteram; atque adeo neque in hoc casu deberet, aut posset in confessione explicari.

Nec satisfacies, si dixeris, debere retractati voluntatem præteritam per contritionem veram, aut attritionem cum Sacramento. Hoc enim in primis omnino gratis dicitur, cum habitus gratiæ, aut charitatis non faciat vllō modo effectum hunc minus dependere à voluntate præterita, aut magis displicere voluntati. Deinde quia hoc modo remaneret maior perplexitas in ordine ad confessionem: nam si post retractationem voluntatis sequitur effectus, oporteret in confessione explicare, an illa retractatio præcedens fuisset contritio, vel sola attritio: si enim fuisset contritio, effectus subsequens non fuit iam peccaminosus, nec debet proponi Confessario vt peccatum; sicut deberet proponi, si voluntas præterita non fuisset retractata, aut fuisset quidem retractata per solam attritionem: quæ omnia longè sunt à sensu & mente pœnitentium, & confessariorum, vt constat.

445. Tertio arguere possumus contra illam doctrinam, quia quantumcunque de facto retractetur voluntas præterita; adhuc si postea subsequitur effectus mortis; non minus incurrit irregularitatem, aut excommunicationem qui dederat venenum iuxta communem ferè omnium sententiam, quam si non fuisset retractata voluntas, quia nimirum per illam retractationem non tollitur, quod effectus sequutus sit voluntarius, vt pote procedens à voluntate, & ab intrinseco cum cognitione, vnde absolute denominatur homicidam; alioquin non redderet irregularem: ergo retractatio non impedit rationem voluntarij, & per consequens neque rationem peccati; quia si peccatum est, hoc habet, quatenus est voluntarium: est autem voluntarium præcisè in ordine ad voluntatem præteritam, & ideo dat denominationem homicidæ, & affert irregularitatem, etiam post retractationem.

446. Vnde possumus quarto arguere à priori, quia effectus ille in tantum est voluntarius, & liber de-

nominatiuè, in quantum ortum habuit à voluntate præterita libera; non in quantum pendet nunc à voluntate non retractata. Et ratio est clara, quia negatio retractationis non facit voluntatem magis nunc influere in effectum, nec retractatio facit, voluntatem minus influere: totus enim influxus ex parte voluntatis est postuissè causam, quam iam nunc tollere non potest: cum ergo retractatio non minuat positionem causæ, nec carentia retractationis addat vires causæ iam positæ; consequens est, vt voluntas eodem modo influat in effectum sequentem, siue retractet, siue non retractet; quia non influit vllō modo secundum statum præteritum, sed solum secundum statum præteritum, vt præteritus est. Cum ergo effectus in tantum sit voluntarius in quantum procedit à voluntate, & eodem modo procedat, siue retractetur, siue non retractetur voluntas præterita: consequens est, vt retractatio non minuat nec auferat rationem voluntarij: ergo nec rationem peccati, si potest peccatum appellari. Probatur hæc vltima consequentia: quia effectus hic non denominatur malus nec peccatum à voluntate præterita, sed solum à voluntate præterita: ab illa enim solum voluntate accipit malitiam, à qua dependet, & omnis alia voluntas, habet se merè concomitantè, & per consequens non potest influere suam malitiam in illum: cum ergo solum dependeat in suo esse à voluntate præterita, consequens est, vt ab ea sola accipiat denominationem mali, & peccaminosam: esse enim malum est procedere à voluntate mala, & peccaminosa: ergo status præteritus voluntatis, qui non influit in hunc effectum, non potest illi communicare, vel auferre denominationem mali & peccati.

Restat nunc respondere ad rationem dubitandi initio propositam, cur, scilicet magis debeat explicari in confessione actus externus, quam effectus peccati: vtque enim habet malitiam denominationem ab actu interno, à quo procedit: neuter habet malitiam formaliter, & immediatè. Suppono autem cum sententia communi, actum externum nullam addere bonitatem, vel malitiam moralem formalem supra internam: quod quidem probato non est huius loci, sed spectat ad primam secundæ. Sicut ergo sufficit confiteri causam malam præteritam, in qua sola residet tota malitia, & non est necesse declarare effectum, qui postea denominatur malus ab illa malitia, quæ iam est explicata: sic videtur dicendum de actu externo, quod sufficiat confiteri voluntatem efficacem internam, in qua sola residet tota malitia formalis, à qua postea actus externus denominatur malus, quia procedit à voluntate mala.

Aliqui dicunt, actum externum esse confitendum, quia tota malitia peccati, quod exterius consummatur, præcipue est in actu externo. Contra hoc tamen arguit Suarez in præfati disput. 22. sectione 3. numero 2. quia licet malitia obiectiua sit in actu externo, tanquam in obiecto: malitia tamen moralis actus humani, vt sic tota est formaliter in actu externo, à quo externus extrinsecè denominatur malus, vel bonus, sicut, & liber, & actus humanus: malitia autem obiectiua actus externi satis explicatur actu interno, vt terminato ad tale obiectum, licet non explicetur actus externus, vt in re positus. Addere possumus, si de malitia obiectiua sermo sit, non minus reperiri malitiam obiectiuam in effectu peccati, quam in actu externo: ideo enim est malum velle dare venenum, aut projicere sagittam, quia mors hominis, seu eius intercedere sagittam, quia mors hominis, seu eius intercedere est mala obiectiue: si ergo malitia obiectiua declaranda

declaranda est, deberet etiam occiso consummata explicari, ex qua potissime desumitur malitia obiectiva.

Ratio magis communis huius differentiae est, quod actus externus, qui denominatur liber à libertate actuali actus interni, est verè, & propriè peccatum: effectus verò postea consequutus, in somno verbi gratia, non est propriè peccatum, ut diximus, sed effectus peccati: in confessione autem explicari debent omnia, & sola peccata: ideo debet explicari actus externus, quando est actu liber: non verò effectus postea sequutus. Porro actum externum esse verè, & propriè peccatum, constat ex definitione peccati, quam ex Augustino tradunt communiter Theologi, nempe, *peccatum est factum, dictum, vel concupiscentia contra legem Dei*: quæ definitio non solum comprehendit actum internum, sed externum, ut constat. Et quidem, licet actus externus non addat malitiam novam supra actum internum: adhuc per illum dicimur propriè peccatores, & mereri poenam: sicut etiam dicimur mereri præmium per eleemosynas, & alia opera bona externa: qui sicut hi actus denominantur boni, aut mali, ita denominantur merita, & demerita, atque adeo propriè dicimur mereri, & demereri per eos actus: ergo, & peccare: debent ergo explicari in confessione, cum sint verè peccata, quia licet non afferant malitiam distinctam ab actu interno: ab eadem tamen malitia possunt duo subiecta diversa accipere denominationem peccati, & mali. In effectu autem postea sequuto non datur talis denominatio, quia non potest esse peccatum actuale in eo, qui actu non peccat; nec potest actu peccare, qui actu non agit, ille autem, qui dormit, dum eius inimicus veneno moritur, nihil tunc agit; ergo tunc non peccat.

Obijcies primò, quando ille alius moritur, tunc qui venenum dedit, incipit denominari homicida; ergo tunc occidit: nam homicida non est, nisi qui aliquando occidit hominem: sed antea nondum occiderat, ergo tunc occidit. Confirmatur, quia qui tunc moritur, nunc occiditur, ergo ab aliquo occiditur, ut à causa principali operante per venenum, ut per instrumentum: non ab alio, nisi ab eo, qui venenum dedit; ergo ab illo nunc occiditur.

Respondetur denominationem homicidæ includere duo, scilicet, actionem ex parte homicidæ, & passionem ex parte passi, seu positionem termini ultimi, qui est mors. Quamvis ergo antea non denominaretur homicida, qui iam dederat venenum; hoc non erat ex defectu actionis; nam ex parte sua iam erat posita tota actio necessaria; sed erat ex defectu termini ultimi, qui postea ponitur, sine nova actione ex parte homicidæ: quare non est verum, quod tunc occidat, sed quod tunc ponitur terminus, ratione cuius est verum iam quod antea occidit; in eo sensu, quo Augustinus in Psalm. 63. dixit, Iudæos tunc occidisse, percussisse Christum, quando clamaverunt, *crucifige, crucifige*.

Ad confirmationem dico, eum qui moritur, nunc occidi à veneno, à cuius actione denominatur etiam aliquo modo agere, qui venenum dedit: sicut pater dicitur generare, quando à semine factus animatur in utero: illa tamen est denominatio quædam agentis valde impropria, & quæ competere potest causæ iam non existenti, ut constat, cum possit iam esse mortuus antea, qui venenum dedit: & tamen diceretur nunc agere per venenum quod dedit: non verò diceretur nunc actu peccare:

quia denominatio peccantis est personalis, nec potest fieri per alium: quare licet aliquo modo dicatur causa præterita agere nunc per alium, non tamen dicitur peccare nunc: quia peccare est fundare in se vituperabilitatem; sicut honestè agere est fundare in se laudabilitatem: repugnat autem fundare propriam laudabilitatem, aut vituperabilitatem nunc propter id, quod alius facit; nam tota laudabilitas, & vituperabilitas fundata iam est in mea actione præterita.

Urgebis, quia homicidium essentialiter est peccatum actuale: sed nunc, quando ille alius moritur, incipis esse, & denominari homicida; ergo nunc incipis denominari peccator. Respondetur, homicidium includere quidem essentialiter peccatum, sed non solum: homicida enim est ille, ex cuius actione iniusta aliquis homo moritur; includit ergo peccatum, vel præsens, vel præteritum, & addit effectum mortis sequutum, ex cuius defectu non dicebaris antea homicida; dicebaris tamen iam peccator ex actione iam posita.

Obijciunt secundò, quia nunc incurritur censura, quando ponitur effectus, & non antea: hæc autem non incurritur, nisi propter peccatum: ergo nunc ponitur etiam peccatum. Respondetur negando consequentiam: nam censura incurritur nunc propter peccatum præteritum, quod tamen Ecclesia non vult punire, nisi posita tali conditione effectus sequuti. Vnde contingere etiam potest, quod incurrat censura ab eo, qui iam per contritionem, vel per attritionem cum Sacramento est iustificatus à peccato præterito: quia censura est poena, qua adhuc Ecclesia iuste punire potest hominem propter peccatum præteritum. Et sicut excommunicatus, licet per contritionem iustificetur, adhuc maneat excommunicatus donec absolvatur: ita potest, quando iam est contritus, incurere de novo excommunicationem propter peccatum præteritum. Et quidem propter censuram, aut reservationem, quæ incurritur aliquando, non aliter, nisi sequuto effectu, oportebit in confessione explicare etiam effectum sequutum.

Adhuc tamen restat scrupulus contra rationem illam communem, propter quam obligatur poenitens ad confitendum actum externum, eo quod ille etiam actus, quando actu durat libertas, est subiectum malitiæ, & verum peccatum. Contra hoc, inquam, potest esse difficultas non levis, quia in confessione alienius peccati non est obligatio explicandi omnia, & singula subiecta malitiæ: sufficit explicare malitiam, & aliquod subiectum illius, v. g. qui semel tria vulnera infligit, sufficit, si dicat, *vulneravit*: item qui oscula, amplexus, & copulam habuit cum femina, sufficit, si dicat, *se habuisse copulam*: ergo similiter qui habuit voluntatem internam, & actum externum, sufficit, si dicat voluntatem internam efficacem: hæc enim, & actus externus faciunt unum peccatum numero; in quo quidem non est necesse explicare singulas eius partes, ut illud peccatum verè dici possit manifestatum, sicut nec qui faratus est centum, oportet, quod illa centum manifestet.

Dicunt aliqui, non satis explicari voluntatem internam, non explicato actu externo: quia per actum externum cognoscitur perseverantia voluntatis internæ. Sed contra, quia circa ipsam perseverantiam redit eadem difficultas: nam ad explicandum hoc peccatum, non oportet explicare totam eius perseverantiam, cum inceptio, & perseverantia faciant unum, & idem peccatum, cuius non est necesse omnes, & singulas partes explicare.

Dices

Dices, ipsamet voluntas exequutiva differt specie à voluntate non exequutiva propter diuersum valde modum tendendi, quem habet in suum obiectum: ad explicandam ergo differentiam voluntatis internae oportet explicare actum externum qui necessarius consequitur talem voluntatem exequutivam. Ita ferè indicare videtur Suarez *illo n. 2.*

456.

Sed hæc responsio non potest plenè satisfacere: quia illa voluntas exequutiva, quæcunque illa sit tota præcedit, prioritate saltem naturæ, actionem externam, quam causat: posset ergo tota secundum se explicari, non explicato opere externo. Probatur consequentia, quia in rigore loquendo, non repugnat, quod aliquis credens, se posse facere aliquam actionem externam, velit eam facere, & habeat vltimam voluntatem exequutivam: & tamen, quia ab aliquo alio tenetur, vel quia ligatus est, aut humore impeditus, non ponat actionem externam: ergo dicere, se habuisse vltimam voluntatem exequutivam, non est dicere, positam esse actionem externam. Vnde posset aliquis explicare totam malitiam voluntatis internæ, non dicendo aliquid de externa actione, sed potius positivè protestando, se nihil velle explicare de illa, an sit vel non sit posita.

457.

Aliter ergo, & fortasse facilius responderi posset ad difficultatem propositam, concedendo, actionem externam simul cum voluntate interna integrare vnum, & idem peccatum, in quo, licet non sit necesse explicare distinctè omnia, & singula subiecta malitiæ oportet tamen explicare subiecta, quæ differunt specie in modo participandi illam malitiam. Sicut ergo in vno peccato constante ex duabus malitiis partialibus specie diuersis, oportet utramque explicare: sic quando vnum peccatum constat ex duobus subiectis partialibus, quæ in modo participandi malitiam differunt specie, oportet utrumque subiectum explicare: alioquin non explicatur species illius peccati tota, quæ non sumitur solum ex malitia, sed etiam ex subiecti tali modo eam participantibus. Porro negari non potest, diuersum esse specie modum, quo actus externus participat malitiam ab eo, quo reperitur in actu interno, in quo reperitur immediatè, & formaliter; in externo autem solum mediatè, & denominatiuè. Si ergo solum explices actum internum; nondum explicasti peccatum illud, quatenus participat malitiam mediatè, & denominatiuè, ex qua parte est peccatum specie partiali diuersum à peccato interno, componens tamen cum eo vnam speciem integram peccati.

458.

Vnde ad exempla in obiectione proposita concedimus, non oportere in peccato explicare distinctè omnia, & singula subiecta malitiæ: nec singulas partes malitiæ, quando inter illa subiecta, aut illas partes non datur differentia specifica partialis, sicut datur in casu nostro. Possumus autem retorquere vltimum exemplum: nam qui habuit oscula, amplexus, & copulam, non satisfaciet confitendo amplexus, & oscula, licet hæc faciant idem peccatum cum copula; sed debet explicare copulam, quæ est pars consummatoria, & continens implicite illas alias; & ideo hac sola explicata, fit satis. Similiter ergo, qui habet actum internum, & externum; non satisfacit confitendo internum; sed debet confiteri externum, quæ est pars vltima, & consummans, ac implicite connotans aliam partem, quare explicato solo actu externo, fit satis, & explicatur tota malitia.

459.

Obijcies vltimò, posse adhuc retorqueri contra nos argumentum, quo supra vti sumus, quod, scilicet, si effectus sequutus post retractatam volunta-

tem non est peccatum, sequitur, quod frequenter confiteatur, vt peccata, quæ reuera non fuerunt peccata, quia fuerunt post retractatam voluntatem, hoc inquam argumentum potest contra nos fieri: quia actio externa tunc solum est peccatum, & materia confessionis, quando fit, perseverante libertate interna: sed frequenter contingit, vt quando exercetur actio externa, non perseveret actu voluntas interna formaliter libera: nam licet applicuerit se homo liberè ad aliquam actionem, v.g. ad legendum, ad ambulandum, ad loquendum, &c. postea tamen non semper habet aduertentiam sufficientem ad libertatem saltem plenam. Contingit ergo sæpè, illam actionem externam non esse peccatum saltem mortale propter defectum libertatis actualis perseverantis: & tamen tota illa proponitur à penitente, vt materia Sacramenti absque ulla distinctione, ergo vel fatendum est, sufficere libertatem præteritam, vt denominetur tota peccatum; vel debet in confessione distingui, quæ pars fuerit, & quæ non fuerit peccatum.

Respondetur, penitentem non habere in nostra sententia obligationem explicandi effectus peccati: sed solum peccata interna, & externa: cui debito satisfacit, accusando se de actione externa, verbi gratia, per hoc enim non intendit dicere, fuisse peccatum, quoad omnes partes externas, quis enim hoc potest scire? Sed solum dicit, quod certum est, incepisse, scilicet, cum libertate actuali, vel aliquandiu eam habuisse: per quod explicatur, quantum sufficit illud peccatum, siue plures, siue pauciores partes habuerit actu liberas, & peccaminosas, omnes enim faciunt moraliter vnum peccatum, quod sufficit sub illa generalitate explicare.

Aduerto vltimò cum Patre Vasquez, regulariter expedire, quod effectus consequi dicantur, atque ideo non esse penitentes impediendos, sed relinquendos in hoc vfu: quia hoc modo explicatur melius malitia actus præcedentis, & intelligitur melius status penitentis, & an habeat obligationem aliquam restituendi, vel inuenerit censuram, aut casum reservatum: & quæ remedia ei oporteat applicare.

Restabat dicere, an sicut non est necesse dicere effectum consequutum; sic etiam non sit obligatio dicendi causam, sed si sufficiat dicere peccatum: verbi gratia, satis sit dicere omissionem Missæ, non dicendo causam, quæ ad hoc mouit, ludum, verbi gratia, vel studium. De hoc tamen dicemus infra *sect. 12.* agendo de circumstantia, *Chr.*

SECTIO X.

De circumstantia, Vbi?

Reliquas circumstantias, quæ supersunt, breuiter percurramus, quia faciliores sunt. Tertia ergo est *Vbi*, seu locus. Et quidem aliquando hæc non est circumstantia, sed ipsa tota substantia, & prima species peccati, quando extrahitur aliquis per iudicem ab Ecclesia contra loci religionem; quando iudex in Ecclesia actus iudiciales exercet, &c. Quæ peccata non habent aliam malitiam, nisi quatenus sunt contra loci reuerentiam, quæ violatur. Aliquando verò locus dat circumstantiam necessariam confitendam diuersam à specie peccati, quæ supponitur, vt quando in Ecclesia effunditur iniuste sanguis humanus, vel sit pollutio, aut copula illicita. Circa quam circumstantiam aliqua breuiter notanda sunt.

Primo ergo interuenit malitia ex hac circumstantia per voluntariam seminis effusionem, per pollutionem, quando notoria est, polluitur Ecclesia, & inde indiget reconciliatione, de quo diximus *dispositio 20. de Eucha*